SIMPSON (C.)

Disputatio medica inauguralis
de Hepatitide. 1814

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

HEPATITIDE;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

CAROLUS SIMPSON,

RUTENUS,

CHIRURGUS.

Die viii. ante Kalendas Julias, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ABERNETHY & WALKER.

1814.

JACOBO RUSSELL,

ARMIGERO,

SOCIETATIS REGIAE EDINENSIS SOCIO,

CHIRURG. CLIN. IN ACAD. JACOBI VI. PROFESSORI,

COLLEGII REGALIS CHIRURGORUM SOCIO,

VALETUDINARII REGALIS CHIRURGO,

&c. &c.

HAS PAGINAS

ANIMO GRATISSIMO

D. D. C.QUE

DISCIPULUS.

JOSEPHO BELL,

ARMIGERO,

COLLEGII REGALIS CHIRURGORUM SOCIO,

&c. &c.

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS,

ANIMI GRATISSIMI PIGNUS PEREXIGUUM,

DICAT CONSECRATQUE

CAROLUS SIMPSON.

To Wm Turnbull M.D.
with the Authors Compliments

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

HEPATITIDE.

PRAEFANDA.

Jecur pluribus malis, et hodiernis temporibus aliquanto crebrius, patet. Ex his autem inflammatio nec raro, neque non vehementer huic visceri penitus insidet; caeterorum fere genetrix, ideoque cognitu plane dignissima. Hanc paucis, lauram Machaoniam ambiturus, tractare statui; quaedam de jecinoris fabrica et officio praefatus.

Jecur est glandula, omnium fere amplissima, quae *hypochondrium* dextrum implet, et partem *epigastrii;* nec raro ad alterum *hypochondrium* pertinet. Facies ei duplex contingit, nimirum, superior, et inferior : illa laevis et gibba ; haec concava et inaequalis. E parte posteriore crassius, anteriore in acutum marginem desinit. Ex binis lobis praesertim conficitur, dextro scilicet grandiori, et sinistro ; quibus interjicitur ligamentum, paulo infra describendum.

Jecur ex inferiore parte inaequale, uti supra retuli, plures exhibet processus et recessus. Illi *lobuli* nominari solent, et tres apud medicos numerantur ; nimirum, lobulus *Spigelii*, parti sinistrae lobi grandioris subjectus, juxta vertebras ; *lobulus caudatus*, hujus quasi pars extima ; et *lobulus quadratus*, vel *anonymus*, lobo dexteriori appositus, ligamentum inter teres, et vesicam fellis ; unde pons jecinoris enatus id ligamentum transcurrit, in lobum sinistrum abiturus.

Jecur *peritonaeo* circumfertur. Hac membrana duplice producta ligamenta fiunt, quorum ope vicinis cum partibus committitur.

Utrinque jecur ligamentis, dextro nempe et sinistro, septo jungitur transverso. Ligamentum latum lobos invicem dissociat, et jecur cartilagini *ensiformi*, septoque transverso adnectit. Spiritu incepto, vena *umbilicalis* coarctata fit ligamentum, quod teres, seu rotundum vocatur. Hoc ex umbilico profectum, infimam et posticam partem ligamenti lati petit, quo ibi implicatur.

Recessus plures, uti antea notavi, jecori subjiciuntur. Ex his praecipue memorandi sunt, fossa *umbilicalis*, lobis interposita; *sinus portarum*, seu *sulcus transversus*, sinistrorsum latus, ex inferiore parte; et duo alii sinus, quorum alterum *ductus venosus*, alterum vena cava, conficiunt.

Jecur, uti aliae glandulae, e plurimis vasis sanguineis, in acinos abeuntibus, vasis resorbentibus et excernentibus, nervis, et substantia propria componitur. Vasa ejus sanguinea sunt arteria *hepatica*, vena *portae*, et venae *hepaticae*. Vasa excernentia, biliosa vel bilifera nuncupantur. Vasa omnia, venis *hepaticis* exceptis, et nervi, *peritonaeo* obducta, apud sinum *portarum* simul exeunt et ineunt: ea vagina *capsula Glyssonii* dicitur.

Vena *portae* et arteria *hepatica* in surculos pene innumeros diducuntur; qui ad intima jecoris penetralia deferuntur, intimo invicem nexu sociantur, et in exilissimos *penecillos*, vel *acinos*, qui vocantur, abeunt; has vero potissimum ramuli venae *portae* faciunt. *Pori biliarii* hinc orsi fel secretum accipiunt; in fistulas grandiores, haud secus atque venae, paulatim desinunt: quibus coeuntibus, fit demum *ductus hepaticus*. Hic porro fellis partem *ductui choledocho* tradit; inde *duodenum* intestinum obliquo in-

troitu petituram: altera supervacanea in *ductum cysticum* et *vesicam* fellis profluxura.

Vesicula fellis est saccus exiguus, lobo jecoris grandiori subnixus: e *fundo*, corpore et cervice constat; et jecinori, ope vasorum et telae cellosae, adhaerescit. Ex quatuor membranis conficitur; nimirum, extima, eadem, quae jecur circumcingit, producta; secunda fibrata, forsitan irritabili; tertia, uti fertur, cellosa, et intima muco viscoso oblita. Officium ejus est, fel hucusque supervacuum aliquamdiu conservare et spissare. Simul atque vero cibo se aliquis impleverit, ad concoquendum felle opus est; quod, opprimentibus visceribus et musculis, respuitur, et in *duodenum* intestinum defertur.

Constat igitur ex jam dictis, jecur bilem secernere: hanc demum, itinere proposito, in intestina profluere, cibo misceri; efficere ut alimentum probe resolvatur, *chylus*que, opima

pars, rite prodeat; quinetiam, incitamento fieri intestinorum fibris, quo omnia excernenda ejiciantur.

Praeter haec, quidam senserunt jecinoris esse quoddam nocivi e corpore excernere; et bilem id, quodcunque sit, continere. Quale autem, aut quid sit, non inter istos convenit. Hinc sine dubio patet, fel operam ad alimenta concoquenda conferre: quod, bile superfluente, deficiente aut vitiata, sub variis jecinoris morbis, facultas concoquendi nunquam non plus minusve labat. Deficiente scilicet felle, alvus pigra, irritamento solito privata, parum excernit; et valetudo minus commoda sequitur: id quod non fieri oporteret, si bilis inutilis non nisi excernenda esset. Nostro sane judicio, rectius in medio ibitur, inter utramque sententiam. Professi nempe bilem officiis supra memoratis perfungi, aliquid etiam noxium et tandem ejiciendum in ea delitescere opinamur: cum stercore enim fel descendit; quod color plane edocet.

Uti jecinoris officium grave, ita ejus morbi summam molestiam, nec raro quaesitissimum cruciatum, pariunt. Horum vero inflammationem, ut jamjam notavi, maximi indagare et intelligere medicorum interest: quippe quae Britannos nuperis annis coeli Indici suetos, frequenter absumit, certeve longis aliis, nec medicabilibus malis, et serius ocius occisuris, implicat.

Jecur duplicem inflammationem subire consuevit; scilicet, *acutam*, et longam seu *chronicam*, quae dicitur. Illam Cullenus ita definivit: "Pyrexia; hypochondrii dextri tensio et "dolor, saepe pungens, pleuritici adinstar, saepius obtusus; dolor ad claviculam et summum humeri dextri; decubitus in sinistrum "latus difficilis; dyspnoea; tussis sicca; vomitus; singultus." Alteri hanc definitionem subjecit: "Haec saepe nulla, quibus dignoscatur, praebet signa; aliquando tamen eandem adesse suspicamur, ex hepatitidis causis

"quibusdam praegressis, ex sensu quodam ple-
"nitudinis et gravitatis in hypochondrio dex-
"tro, ex doloribus plus minusve pungentibus
"in eadem parte subinde perceptis, ex dolore
"quodam a presso hypochondrio dextro, vel a
"decubitu in latus sinistrum sentito; denique,
"ex pyrexia leviori cum dictis signis subinde
"infestante."

DE INDICIIS HEPATITIDIS ACUTAE.

Inflammatio jecinoris *acuta* easdem notas exhibet, easque saepe incitatissimas, quas aliam partem adorta, praeter quasdam proprias, hujus visceris muneri, fabricae sedique tribuendas: citius porro quam altera *longa* finitur; et remedia praesentiora et validiora flagitat.

Instantem vero denunciant summa anxietas, vires praesertim artuum resolutae, et alia, quae

hominem febrire docent. Membra rigore horrent; nec multo postea, summa cutis praeter consuetudinem incalescit et aret; et sensus gravitatis circa praecordia e dextra parte angit: quem excipere solet dolor ejusdem partis, modo acutus, at saepius hebes. Hic, opprimente manu, ingravescit; et humerus fere dexter, interdum laevus, et *scapula*, plus minusve ejusdem sunt participes. Aeger, si in latus sanum cubat, vehementius affligitur; si in affectum, quodammodo expeditur. Dolor quoque prono, certeve prorsum inclinato, quam erecto fit remissior. Concitantur arteriae; scilicet, celerius, validius et durius micant; crebro et graviter trahitur et emittitur spiritus; vexat simul tussis, pituitae pene expers; cibos aeger fastidit, nec raro, cum quodam bilioso evomit; et singultit. Alvus varia prodit; plerumque pigrior, durum et album, idque parce excernit; alias contra biliosa et liquida descendit, maximeque circa finem. Redditur urinae biliosae et rufae parum, ex qua demum subsidit aliquid

fusci. Cum jam aliquot dies haec mala traxerint, cutis aurea quasi fieri coepit; et lingua, nitore amisso, sorde candida fuscave obduci. Sitit infelix vehementer; oculique hebetes et lapsi persaepe flavent. Cibum homo parum appetit, et male concoquit; noctu fere vigilat; aut si quid dormit, ex improviso dirissimis somniis quies solvitur. Nunc demum in pejus omnia celeri pede feruntur; et fatum praeceps testantur nova mala deteriora. Cutis gelido et glutinoso sudore madet: alvus biliosa et resoluta, citra animi imperium profluit: concidunt vires; et mors aegrum aerumnis eripit.

DE HEPATITIDIS CHRONICAE SIGNIS.

Haec longe frequentius, quam altera acuta, homines male habet; et multiplex tot tamque diversas inter se formas sibi praeferre consue-

vit, ut non raro vel peritissimos lateat medicos, morbosque simulet, ipsi alienos. Ob notas leves et obscuras, persaepe medicus, aegro adhuc spirante, jecur vitiosum ne suspicatur quidem; nec prius id cognoscit, quam inciso cadavere, jecur exulceratum invenerit: unde idem inflammatum fuisse judicat.

Haec inflammatio coepisse solet e cibi fastidio, vomitu, et viribus animi corporisque fractis. Nec multo postea, haec ingravescunt, alvus fit pigra, acceduntque malae concoctionis pessima indicia; veluti, inflatio ventris, ructus biliosi acidive, nausea, et dolores capitis et ventriculi. Vultus aegro, qualis fere exanimi, contingit, pallidus et demissus; et ad finem flavet. Vexat quidam plenitudinis sensus, circa jecur; quem sequitur dolor obtusus, opprimente digito et cubando in partem sanam, intentus, et ad humerum dextrum ascensurus. Interdum, imposita manu, aequo durius et grandius jecur sentiri potest: alias equidem in tan-

tum intumit, ut ipsis oculis nudato corpore patescat. Nonnunquam respiritus eo gravatur, ut animi fistulae *asthmate* coarctari videantur. Tussis, sputi fere expers, irritat fauces. Venter tardior, non nisi durum, male olens, atrum, aut album reddit. Lingua inarescit et sordet; summa cutis plus quam fert natura, calet. Urina rufa ejicitur; ex qua mox decidit natura rubra et viscida. Cutis oculique, malis inveteratis, persaepe aurescunt; et alvo resoluta, crebrae dejectiones et tormina demum affligunt. Arteriae, quae principio sat bene micuerant, nunc languide et saepe inaequaliter saliunt.

Si, nil valentibus remediis, haec mala penitus insident, pejora accedunt. Jecur magis ampliatur et indurescit. Venter tandem intumescit, et manu altera ei imposita, altera icente, fluctuare sentitur; artusque male habet intercus aqua. Quae *ascitem* subesse testantur; eumque pertinacissimum, quippe qui, nisi sanato jecore, tolli non poterit. Dilabuntur vires;

et signa febris *hecticae* miserum conficiunt: scilicet, motus arteriarum imbecilli sunt, et vespere concitantur; corpus emacrescit et noctu insudat; alvusque profluens foetidum et liquidum excernit. Quibus protinus accedunt vigilia nocturna, vox pene nulla, imi ventris dolores, singultus et delirium, morte exoptanda finienda.

DE HEPATITIDIS FINIBUS.

Hepatitis, uti aliae inflammationes, in *Resolutionem*, *Suppurationem*, aut *Gangraenam* desinere potest. Ex quibus tamen Gangraena rarissime accedit. Nec deest finis proprius, durities nempe, quae *Scirrhus* minus recte vocatur. De his breviter disputandum.

Resolutio.—Medici est periti hanc quam pri-

mum moliri, si fieri potest. Eandem vero sperare futuram licet, si jecur sub idonea curatione minus dolere et tumefieri coeperit; si arteriae tardius et validius moventur; si spiritus expeditur, tussis sedatur, cutis oculique ad integritatem redeunt, et ventriculus intestinaque rite officiis perfungi incipiunt. Aliquando sola natura auxiliatrice, resolvitur haec inflammatio, sanguine e naribus aut imo intestino sua sponte profluente; aut urina multa et crassa reddita; aut alvo cita et biliosa; denique, sudore ingenti et aequali, vel sputo copioso. Cutis alicubi *erysipelate* efflorescens aliquando resolvisse fertur.

Suppuratio.—Cui dolor mitescere coepit, motus arteriarum fit plenior et mollior; cui corpus vicissim, modo inhorrescit, modo exardet, sensusque gravitatis et caloris in parte affecta urget; huic instare suppurationem judicamus. Quod si huc accedit tensio quaedam circa jecur, si quid manu admota fluctuare sentitur;

si alvi fluxus et sudores gelidi, aliaque febris *hecticae* propria invadunt, aliquid jam abscessisse patet.

Abscessu intus facto, pus aliter alias effundi potest; prout jecur cum hac illave parte committeretur nova vasorum actione. Quoties *peritonaeo* adhaeret, aut prominebit tumor, sponte vel arte pure vacuefaciendus; aut si minus arcte conglutinatur, pus in ventrem profluit. Interdum, eroso transverso septo, in pectus funditur, aut aegrum strangulaturum; aut, si in fistulas animae deferatur, expuendum *.

Si pars jecinoris concava laborat, pus in ventriculum, aut intestinum *duodenum* aut *colon* transire potest: unde vomitu vel dejectione ex-

* Apud librum, cui titulus "Medical and Physical Journal," vol. xxvii, p. 95, memoratur, Doctori Paxton contigisse aegrum curare, cui jecur suppuraverat, et pus inde in pulmonem translatum eo spiritum impedierat, ut mortem instantem saepius minitaretur: convaluisse tamen aegrum.

cernitur. Nec solum cohaerentibus intestino et jecore, sed etiam per bilis fistulas, pus in *duodenum* aliquando transfunditur. Denique, nonnunquam intus delitescens non effluit; nec nisi, homine defuncto, quod supra proposui, jecur suppurasse constat. Hoc inflammationem acutam rarius quam alteram sequitur.

Scirrhus.—Jecur inflammatum multo frequentius tandem indurescit; quod vitium *Scirrhum* medici appellant. Hic potissimum inflammationi *chronicae* supervenit; et interdum diu latet: praesertim si jecur duratum tabescit et collabitur, non manu deprehendendum. *Scirrhum* accessisse denunciare solent vultus demissus et exsanguis, modo luridus aut flavus; dolor remissior, at sensus molestiae et gravitatis ad jecur relatus; cibi fastidium; notae concoctionis tardae; vires labefactae, et corpus eo macrum ut jecur, si grandius sit, facile digito sentiatur. Induruit tamen jecur plures annos, valetudine

minus laesa; at vero serius ocius inde nascitur dirus hydrops aut *Icterus*, vel uterque.

Gangraena.—Inflammatio jecinoris, nisi acuta, perraro ad gangraenam tendit; eo quod altera longa intimae compagi, id est, substantiae propriae, ad gangraenam pigrae, incumbit. Haec adesse cognoscitur, si dolor derepente et penitus conquiescit, vires labuntur, arteriaeque moventur languide, crebro, nec paribus intervallis; si frigent artus, deficit anima, gelidoque sudore corpus humet; porro, si miser assidue singultit, alvusque, non imperante animo, liquidum, idque foetidum et nigrum aut biliosum, dejicit. Quae mortem in propinquo esse testantur.

QUAE, INCISO CADAVERE, PATENT.

Incisis mortuorum corporibus, jecur nonnunquam durius et amplius esse quam fert natura, conspicitur. Eo subinde intumuit, ut majorem ventris partem impleverit, et alia viscera, quo minus officia solita exequerentur, gravaverit. Neque raro extenuatur, tuberculis et saccis exiguis natura glutinosa aut terrena repletis obsessum.

Subinde, at rarius, membranae jecoris quasi in cartilaginem conversae sunt *.

Jecur inflammatum admodum purpurascit, vasis nimirum exiguis sanguine oppletis: maximeque id parti convexae accidit. *Fibrina* si-

* Vide Baillie's Morbid Anatomy, p. 216.

mul profusa facit ut jecur partibus vicinis, aliique alias, adhaereat. Persaepe lobus dexter septo transverso ita jungitur, pure refertum; quod hoc itinere fistulas pulmonis petit. Interdum jecur pallet et emollitur, crebrisque abscessibus pure lactive simili plenis, corrumpitur.

Jecur tuberculis instructum speciem aliam atque aliam sibi induit, pro horum natura varia. Saepe aurescit jecur; eo quod, fistulis bilis oppressis, fel exeundi impotens intus in jecinore haeret: unde vesica fellis pene vacua praeter solitum pallet.

Hydatides frequenter jecinori inhaerent; plerumque candidi, modo flavi, aut succino colorem similes*. Intimis fere penetralibus jecoris, interdum ejus faciei infixi reperiuntur.

---

* Vide Baillie's Morbid Anatomy, p. 227.

DE SEDE MORBI.

Opinati sunt aliqui acutam jecoris inflammationem surculis exilissimis arteriae *hepaticae*, *chronicam* venae *portae* ramulis, incitatis, contineri. Quod eos fallere manifestum est; siquidem multiplici nexu harum rami invicem consociantur; adeo ut, alterutra inflammata, altera non integra esse potest.

Verisimilius est, quod sentit Cullenus *, inflammationem acutam membranae cingenti, longam substantiae jecinoris propriae, insidere. Illa saepius Europaeis jam domi habitantibus, haec Indias accolentibus, inflammatur.

---

* Vide Primas Lineas, parag. ccccxviii.

DE CAUSA CONTINENTE.

Qua causa contineatur quaevis fere valetudo, dictu forsan est difficile. Haec eadem sit *hepatitidi*, quae cuivis alii inflammationi, necesse est. De nulla autem re minus inter medicos convenit.

Florente ista disciplina, quae morbos ad humores vitiosos retulit, inflammationem alii *humori sanguineo* superfluenti, alii sanguini praeter naturam viscoso tribuerunt. Cullenus autem, qui somnia ista fugavit, ad vires motrices, non humores animum advertit; vasisque affectis fieri inflammationem judicavit. Coopero * videtur vasa partis incitata, et nervos plus

* Vide First Lines of Surgery, p. 4.

aequo sentientes inflammationem facere. Quae opinio maxime omnium apud medicos valet.

DE CAUSIS REMOTIS.

Causae *Remotae*, quae dicuntur, duplicis sunt generis: Quae corpora proclivia ad morbos reddunt; et quae ipsos excitant. Utrasque jam considerandum.

De Causis Proclivitatis.—Qui aliis, ii huic inflammationi, opportuniores existunt. Pleni et validi, iique adulti saepius quam pueri et mulieres, ea implicantur. Aestus homines ad eandem propensos reddit; imo vero per se inferre potest. Hinc Britanni aliique Europaei, domo Indiis mutata, persaepe *hepatitide* aegrotant; frequentius equidem Indis, coeli torridi integram vitam suetis. Nec solum ob aestum in

hunc morbum incidunt; gulae enim vinoque se dedere solent Europaei ad Indias translati: quibus haud ullae noxae jecoris inflammandi potentiores sunt. Ista pessima ratione vivendi dilabuntur vires; acceditque *hepatitis* longa, dirae malorum catervae genetrix futura.

De Causis Excitantibus.—Ex his longe valentissimam et creberrimam esse coelum aestuosum, usu docemur. Hanc igitur noxam paulo altius inquirere licet.

Aestus.—Aestus jecinoris inflammandi capacissimus est; praecipue autem hic et frigus humori junctum vicissim corpori adhibita. Qui Europam India mutaverint, ardoris ejus perinsignis insueti, graviter inde affliguntur: et nondum usu docti, se vicissim roribus et frigori vespertinis, calorique meridiano subjiciunt; quorum hic vasa incitando, illa cutis halitum subito reprimendo, ut partes interiores, maxi-

meque jecur, inflammentur efficiunt. Pari ratione, si quis jam insudans et calefactus aquam frigidam ingurgitat, superventura esse consuevit visceris cujusvis, et fere pulmonis aut jecinoris, inflammatio.

Motus animi.—Animum corpori plurimum imperare res est notissima; commoto igitur illo, hoc turbetur, necesse est. Motus animi praesertim cor, arterias et glandulas movere aut perturbare cognoscuntur; aliique alias. Ira, solicitudo, moeror, &c. jecur concitare, eoque subinde inflammare comperta sunt.

Febres Intermittentes et Remittentes diutinae non solum corpus infirmant, sed, efficiendo ut sanguis non aequaliter ad omnes partes deferatur, quasdam, maximeque *glandulas*, onustiores reddunt. Hoc persaepe jecori contingit; quod inde plus aequo fellis, ejusque acrioris, secernit, et ita irritatum in inflammationem incidit.

Ebrietas,—quomodocunque illata, at potissimum liquoribus ardentibus epotis, jecinori proprie nocere videtur; istamque inflammationem ejus lentam accendit, cui durities jungitur aut supervenit. Ebrietatem sane jecur durare hinc patet, quod vinolentis prae aliis, hoc viscus, patefacto cadavere, tuberculis vitiosum aut aequo durius reperiri solitum est; maribusque saepius quam foeminis; quippe qui magis se fere poculis dedunt.

Huc aliae quaedam noxae referri possunt: qualia sunt, calculi bilis fistulis inhaerentes; fel acrius; satietas; condita omnia; luxus omnigenus; cursus incitatior; et jecur ipsum aut caput ictu violatum: ut si quis praeceps ab excelso sic labitur, ut calvaria scindatur.

DE QUARUNDAM NOTARUM RATIONE.

Intentio et dolor hypochondrii dextri.—Omnis est inflammationis, dolorem procreare; eo quod acuitur facultas sentiendi, ut supra dixi: intentionem, quod vasa ultra modum turgent. Haec mala *hypochondrium* dextrum plectunt, quia lobus jecoris dexter ibi situs saepius altero inflammatur.

Dolor humeri et claviculae.—Si quidem nervus phrenicus et plexus *axillaris* eodem fonte, nempe nervis cervicis proficiscuntur, necesse est, ut illo irritato, hic ejus mali fiat particeps. Jecur si inflammatur, septo transverso proximum, ejus nervum non irritare nequit. Huc accedit, quod illo nervo orti ramuli in jecur sparguntur.

Difficultas in partem sinistram decumbendi.—In sanum latus cubando jecur grave illuc suo nutu fertur; unde ejus ligamenta, quae fere inflammantur, extensa dolorem et molestiam exasperant.

Tussis, spirandi difficultas et singultus.—Haec notae superiore jecoris parte inflammata, plus saeviunt: quippe quae septo transverso et pulmoni vicina iis inflammata fit grandi irritamento; qua unica causa *tussis* et *singultus* hic proveniunt. Æger graviter spirat, eo quod jecur tumefactum, quo minus rite descendat transversum septum, vetat. Spiritus dolorem facessit, quia hoc ipsum et membranae ejus quoque inflammantur.

Vomitus, et alia ventriculi mala.—Concava jecinoris parte laborante, haec signa torquent. Ventriculus enim jecori subnixus, hic plurimum irritatur, imo vero quodammodo inflammatur;

et inde ad actionem abnormem excitatur; ita interdum acrem ut fel ipsum evomatur.

Oculi et cutis flavi.—Jecur inflammatum fere tumet; unde bilis fistulis oppressis, fel exeundi in intestinum et vesicam suam impotens a vasis *lymphaticis* in sanguinem defertur; qui inquinatus, efficit ut cutis oculique aurescant.

DE DIAGNOSI.

Inflammatio jecinoris *chronicae* quosdam morbos admodum simulat; ita ut aliquando jecur necne laboret, dictu est difficile. Hi vero sunt *Pneumonia*, *Gastritis*, *Enteritis*, *Colica*, *Rheumatismus*, *Phthisis Pulmonalis* et *Dyspepsia*.

Pneumonia.—Morbus propositus a Pneumonia discernitur, dolore huic acutiore, inspiran-

do at non manu premente exasperato, pectoris alterutri lateri incumbente, et saeviore, quoties aeger in partem affectam cubat; tussi porro eidem crebra, sputoque saepe cruento. Illi contra, respiritus non dolorem tantum intendit: dolet summa pars humeri dextri; dolor ipsius partis hebetior urget, et hac oppressa ingravescit. Quinetiam, aeger in sanum latus cubare nequit; vexat tussis pituitae fere expers, vultusque pallet, aut aurescit et extenuatur.

Enteritis et Colica.—Quibus inflammatur intestinum, his venter, praesertim circa umbilicum graviter dolet; alvus est pigerrima; summa urgent sitis, ardor, et anxietas; concidunt vires, arteriaeque languide et crebrius moventur. Quibus perspectis, falli non poterit. Eadem ad *Colicam* pertinent, nisi quod huic deest febris, et dolor circa umbilicum premendo lenitur. Neutri ex his dolent humerus et *clavicula.*

Gastritis.—Commune est *Gastritidi* cum *Hepatitide,* cibus fastidire et evomere, et singultire. Dolor autem ventriculi cruciantissimus, vires subito fractae, arteriarum motus exilissimus et celerrimus, dolor humeri nullus, vomitusque et singultus saevissimi, satis ventriculum non jecur inflammari praedicant.

Rheumatismus. — Musculi jecinori proximi nonnunquam *Rheumatismo* conflictantur. Dolores autem inde geniti ultra sedem jecoris palantur, cursu aut aliquo nisi adaugescunt, fibras ipsas motrices pervagantur: nec raro ventrem et artus vicissim occupant. Praeter haec, Rheumatismo deficiunt tussis, vomitus et singultus.

Phthisis Pulmonalis.—Persaepe, cui jecur inflammatum suppurat, hunc torquent quaedam ex iis malis quae exulcerato pulmone nascuntur. Internoscere tamen perito difficile non est. Cui jecur inflammatur, huic dolent hoc viscus et humerus; flavet, et initio aret summa cutis; sor-

det lingua, et mens futuri pavida languet: Quae *Phthisi* desunt; imo notae quibusdam ex his pene contrariae sunt. Sudores nocturni, malae rubentes, alvi resolutio, et alia signa febris *hecticae*, quae pulmonem exulceratum denunciant, *hepatitidi* nisi jam ad finem properanti, non contingunt. Denique, *Phthisi* perituro, lingua nitet et rubet, mensque serena, imo integerrima esse consuevit.

Dyspepsia.—Rei medicae sagacissimus mala ventriculi et jecinoris saepissime inter se confundit. Febris incitata, dolor acutus et alia ejusmodi, ne quem latet *hepatitis* acuta, vetant. Longa vero *Dyspepsiae* faciem persaepe sibi induit. Omnia cibi male concocti indicia utrique contingunt; nimirum, acor, ructus crudi, inflatio, dolor ventriculi, cibi fastidium, vomitus, et similia: quibus ideo non insistendum. Si jecur male se habet, praeter haec, dolor torquet, circa ejus et ventriculi sedem, inter premendum increscens; arteriae concitantur, cor-

pus exardet, et vultus flavet. Porro, sanguis detractus tunicam istam, fere inflammationis indicem, exhibet, et mala lenire solet.

DE PROGNOSI.

Hic morbus saepe pertinax et diutinus medicis expertissimis obnititur. Plerumque tamen idonea curatione levari potest.

Quo rite exitum futurum ejus auguremur, oportebit cognoscere, quae aetas sit laborantis, quae ratio corporis, qualem terram incoluerit, quomodo vixerit, ebrietati et gulae necne se dediderit; quae denique causa malum intulerit.

Si medicus tempestive et acriter opitulatur, et ipse aegrotus natura validus, non vino, ve-

nere, aut aliquo luxu se confecerit, salutem redituram praesagiendum.

Cum inflammatio jecoris acuta, jam diu traxerit, at rite curata sit, finem prosperam sperare licet, si dolor, aliàeque febris notae conquiescunt; si vultus ex lurido aureove rubere et nitere coepit; si remedia non vires labefecerint, cibus appetitur, et rite concoquitur, corpusque ali incipit.

Quod si ars medica nil juverit, dolor et febris magis saeviunt, alvus tardatur; si cibi respuuntur, corpusque languet, extenuatur et inhorrescit; instare suppurationem patet.

Abscessu jam facto, pro ejus sede, sit sperandum an metuendum judicamus. Si acuitur et extrorsum spectat, bonum est: pus enim frequenter ope scalpelli educi poterit; quo absoluto, sanescit vulnus, ni vitet indoles mala corporis. Quod si pars jecoris interior suppurat,

in praecipiti homo fere versatur: potest equidem fieri, ut pus expuatur, evomatur aut dejiciatur; at frequentius intus latitans tabe lenta consumit.

Si pus in pectus confluit, aeger ex improviso strangulatus fere peribit: si in ventrem, aut febre *hectica* marcebit, aut gangraena *peritonaeum* correptum, pure scilicet bilioso et acerrimo, cita morte absumet.

DE CURATIONE.

Utraque jecinoris inflammatio iis remediis, quibus *Regimen*, quod dicitur, *Antiphlogisticum* continetur, debellanda est. Acuta sane haec acrius ministrari quam longa, desiderat. Valentiora ex his sunt Sanguinis Detractio, Exulcerantia, et Alvi Purgatio.

Sanguinis Detractio.—Nullo auxilii genere, quam sanguine icta vena rite detracto, melius huic, uti aliis inflammationibus obstatur. Plus minusve sanguinis mitti oportebit, prout edoceat virium, febris et doloris ratio. Si vena semel percussa non mala sedaverit, idem iterum fieri debebit. Deest autem praeceptum de hac re perpetuum. Si, sanguine bis terve elicito, inflammatio adhuc exardet, hirudines circa partem imponere, aut vasa instrumento idoneo scarificare, quam brachii venam iterum incidere, praestat; scilicet, ne vires inde deficerent.

Exulcerantia.—Non vena secta, unico auxilio nitendum: ei bene accedunt exulcerantia, parti dolenti admota. Opus erit igitur *emplastrum* e *Meloe Vesicatorio* amplissimum adhibere; et ulcus inde oriundum unguento e foliis *Juniperi Sabinae,* aliove ejusmodi aliquamdiu conservare. Nonnulli equidem *emplastrum* propositum crebro applicari malunt, quam ulcus unico factum irritando continuum habere; spatiis

talibus interjectis, ut prius sanetur ulcus, quam imponatur novum *emplastrum*. Haec vero curatio gravi incommodo non vacat; urinae nempe difficultatem movere potest. Quae ne fiat, *emplastrum tartrite antimonii* et *potassae* imbutum, misso *meloe*, utendum.

Alvi Purgatio.—Alvo purgata plus valebit sanguinis detractio, et grave irritamentum tolletur. Optime exinanietur intestinum quovis e salibus mediis, multa aqua liquato, uti *Sulphate Sodae* aut *Magnesiae:* qui ita ingestus multo magis sedat et refrigerat, rariusque nauseam ciet. Interdum alvus torpens acriora desiderat; qualia sunt *submurias hydrargyri*, radix *convolvuli Jalapae*, et quae sunt hujusmodi. Aliquando alvum ducere et simul fovere proderit, liquore tepido in intestinum imum infuso.

Quae sudorem leniter evocant, uti praeparata ex *Antimonio*, aqua *Acetitis Ammoniae*, potus diluti tepefacti, siquidem cor arteriasque se-

dant, et corpus refrigerant, non parum proficient. His rite accedit pedum tepida lavatio.

Praeter haec, vomitum, datis medicamentis, quidam moliri solent: quem valde suspicor, jecinore vehementer commovendo, ejus ligamentis intendendis, nociturum, non adjuturum.

Hisce auxiliis caute acriterque admotis, Britanno acuta jecoris inflammatione aegrotanti fere succurritur, et suppurationi obstatur. At jecur Indiam Orientalem accolenti inflammatum ad suppurandum longe proclivius est; ideoque consulto et mature facto est opus. Sanguis aliquanto parcius est mittendus; et ipso principio alvus exinanienda. Quod si notae acerbiores urgent, his bene adjiciuntur exulcerantia; nempe, emplastrum e *Meloe Vesicatorio.* Biduo post, praeparatis ex *hydrargyro* utendum.

Si demum, medicina frustra remittente, in-

stat suppuratio, nitendum est, ut fiat pus bonum, laeve, album, et aequale. Quem in finem dare oportet *cinchonam officinalem*, paululum vini meracioris, victumque opimum; et partem affectam liquore quovis tepido, aut *cataplasmate* emolliri et fovere: quo pus ad exteriora feratur. Simul atque abscessus prominere et acui coeperit, protinus ferramento pus educendum; ne, hoc misso, ad interiorem aliquam partem vertatur. His absolutis, ulcus solito modo curandum: aegre tamen sanescit.

Hydrargyrus.—Plerique medici sentiunt praeparata ex *hydrargyro* quadam facultate propria vitia jecinoris debellandi pollere: et pene omnes iis utuntur in *hepatitidem* longam; imo vero *acutam*, Indiarum incolas adortam; idque, fere malis jam ineuntibus. Tam celeri equidem pede inflammatio ad suppurationem properat, ut *hydrargyrus*, nisi mature ministratus, prorsus foret inutilis. Incipere solemus, inflammatione nondum devicta; nec prius inter-

mittendum hoc auxilium, quam gingivae vitiosae corpus eo probe imbui praedicaverint. Quod si *scirrhus* venturus appareat, *hydrargyrum* dare opus erit, dum saliva os scatuerit. Ad hoc consilium exequendum, *unguento hydrargyri* cutem illinere, aut circa partem laborantem, aut femoris interiorem partem, quae scilicet vasis patulis absorbentibus abundat, factu est optimum. Eo magis et citius valebit, si medicamentum ex *hydrargyro* confectum simul ingeratur; cui opium adjiciendum, ne tormina et dejectiones moveat.

Acidum Nitricum.—Medici quidam Orientales omnium primi hoc remedium in mala jecoris vetustiora, sunt experti: quos imitati nostrates eodem usi sunt. Ingerendum est multa aqua imbutum; et *hepatitidem* longam, inutili *hydrargyro,* subtulisse fertur.

Quoties mala jecinoris *strumae* aut *scorbuto* junguntur, obest *hydrargyrus;* cui, *scorbuto*

vexante, anteponendum est *acidum nitricum.* Denique, *acidum nitricum hydrargyro* bene auxiliatur; at non ejus vice fungi posse videtur.

DE RATIONE VICTUS, &c.

Nisi victui idoneo insistitur, minime prosunt alia auxilia. Quod si non medicabilis sit morbus, inde tamen lenitur. Cibum oportet esse, concoctu facilem, opimum, levem: salsamenta, omnia pinguia et condita, vina, et liquor aliquis meracior, abjici debent; maximeque, si aeger habitet sub ardente coelo. Potissimum lacte, fructibus maturis, farre, jusculis dilutioribus, piscibus candidis, et quae sunt hujusmodi, vescendum. Lac equidem quibusdam minus convenit. Potui aptissima sunt liquores tenues et egelidi; nimirum, aqua *acido citrico,* aut fructu

quovis maturo paulo saturior. India relicta, domum redeundum: nec parum opitulabitur navigatio longa ad id necessaria.

Convalescente jam aegroto, medicamenta roborantia et amara, et quaedam epotae ex aquis ferro tinctis, juvabunt. *Bathoniam* et *Cheltenham* praesertim nunc confugere proderit.

FINIS.